

Et modus ponitur iste, et colligitur ex multis dictis opinantis sparsim in pluribus locis, quod tam intellectus quam voluntas in quocumque habentesse propter separationem illorum a materia; postquam habuerint esse in actu suo primo simplicis intelligentiae et aut volitionis, sunt supra se conversivi, et super actus eorum simplices et super obiecta eorum per actus conversivos intelligendi et volendi.

Intellectus enim non solum intelligit verum simplici intelligentia sed etiam intelligentia conversiva intelligendo se intelligere, et convertendo se super obiectum intellectum, et super actum simplicem intelligendi, et super se intelligentem per actum suum conversivum, quia intellectus notitia secunda, quae est in Verbo, non solum scit et intelligit rem, sed sic scit et intelligat eam, ut sciat se scire et intelligere eam.

Similiter voluntas non solum vult bonum simplici volitione, sed etiam volitione conversiva, volendo se velle, convertendo se super obiectum volitum et super actum volendi simplicem, et super se volentem per actum suum conversivum; sed ista conversio partim uno et eodem modo convenit intellectui et voluntati, et partim alio et alio modo. Quod enim ambae se convertunt ut sunt nuda, purae et solae potentiae, hoc uno et eodem modo convenit eis quantum est ex parte ipsarum se convertentium. Ambae enim se solas convertunt sua via activa, quae aequaliter eis convenit, sed alio et alio modo, quantum est ex parte obiectorum ad quae se convertunt.

Intellectus enim postquam est conversus ad illa ad quae conversus est, se habet ut potentiale quoddam et purum potentiale, et hoc quia intellectus nudus et purus natus est recipere ab illis, sicut proprium passivum a suo proprio activo naturali, quod quidem activum est idem intellectus informatus notitia simplici, et hoc respectu formationis notitiae genitae declarativae.

Voluntas autem postquam est conversa ad illa ad quae conversa est, se habet ut activum quoddam, et hoc ut voluntas nuda et pura nata exprimere de illis (sicut proprium activum de proprio passivo, cuiusmodi est eadem voluntas informata amore simplici) amorem quemdam incentivum, qui est spiritus sanctus in divinis qui habet esse a producentibus ipsum, non per informationem eius de quo est quasi subiective, nec per aliquam impressionem factam eidem secundum modum quo Verbum sive Filius procedit a Patre, per quamdam quasi informationem sive impressionem factam intellectui paterno converso, ut sit sicut notitia declarativa de notitia simplici, sed per quamdam quasi excussionem vel expulsionem aut progressum; aut magis proprie loquendo, per quamdam expressionem producti de eo de quo subiective producitur.

Ex parte ergo intellectus causatur actus dicendi a notitia simplici in intellectu nudo converso supra se et supra notitiam suam simplicem, ita quod intellectus informatus notitia simplici, est principium activum et elicativum actus notionalis intellectus. Ipse autem nudus intellectus conversus non est nisi quasi principium passivum, de quo, quasi de materiali, producitur Verbum, quasi per impressionem.

Ex parte autem voluntatis causatur actus notionalis ab ipsa voluntate nuda conversa supra se, et super amorem suum simplicem, et super ipsam voluntatem informatam amore simplici, ita quod voluntas nuda conversa est principium activum et elicativum actus notionalis voluntatis (\*); ipsa vero voluntas informata amore simplici est principium quasi passivum (\*) de quo quasi de materiali producitur Spiritus sanctus secundum quamdam expressionem.

(\*) manifeste verwechselt.

Opinio Henrici apud Scotum, Vives 8, 536.

Et hinc apparet differentia intellectus intellectus, et intellectus ut natura, quia intellectus ut in Patre existens in actu intelligendi suam essentiam, quem actum ipsa essentia operatur in ipso intellectu suo, ut est quasi in potentia ad notitiam essentialem secundum rationem intelligendi, fecundus est fecunditate naturali ad producendum de seipso sibi simile ad quod est quasi in potentia, per hoc quod est actu sub illa notitia essentiali. Intellectus enim, ut est quaedam notitia essentialis secundum actum est natura et principium activum, quo Pater de eodem intellectu ut est intellectus purus, et tantum intellectus ut de puro passivo format notitiam, quae est Verbum, quae secundum rem est eadem notitia cum illa de qua formatur, differens solum ab ea in quantum procedit ab ea ut manifestativa et declarativa ipsius.

Et per omnem eundem modum debemus intelligere verbum formari in nobis, Cognitum enim primo sui simplicem notitiam imprimit intellectui nostro representando se illi ut pure passivo, et sub illa ratione qua est intellectus; intellectus autem sic perfectus simplici notitia per obiectum cognitum quod in se continet expressive factus est fecundus et principium activum ut natura imprimens in seipsum, ut intellectus tantum et principium passivum, ad formandum in se notitiam declarativam de notitia simplici, et secundum hoc quando dicitur Verbum formari per intellectum, et quod intellectus sit in formatione eius activus, hoc intelligitur de intellectu informato simplici notitia. Per hanc enim ut per rationem formalem agendi, intellectus est principium agendi activum, et necessario prior est ratio eius ut intellectus est passivus respectu notitiae simplicis quam recipit ab obiecto, quam ratio eius secundum quam est natura et activus per notitiam simplicem inhaerentem, et ideo ordine rationis prius habet esse ut est intellectus quam ut est natura, et fundatur actus notionalis quem agit ut natura, super actum essentialem quem patitur ut intellectus, scilicet super notitiam simplicem obiecti quem recipit ut est nudus.

Et modus ponitur iste, et colligitur ex multis dictis opinantis sparsim in pluribus locis, quod tamen intellectus quam voluntas in quocumque habentesse propter separationem illorum a materia; postquam habuerint esse in actu suo primo simplicis intelligentiae ~~et~~ aut volitionis, sunt supra se conversivi, et super actus eorum simplices et super objecta eorum per actus conversivos intelligendi et volendi.

Intellectus enim non solum intelligit verum simplici intelligentia sed etiam intelligentia conversiva intelligendo se intelligere, et convertendo se super objectum intellectum, et super actum simplicem intelligendi, et super se intelligentem per actum suum conversivum, quia intellectus notitia secunda, quae est in Verbo, non solum scit et intelligit rem, sed sic scit et intelligat eam, ut sciat se scire et intelligere eam.

Similiter voluntas non solum vult bonum simplici volitione, sed etiam volitione conversiva, volendo se velle, convertendo se super objectum volitum et super actum volendi simplicem, et super se volentem per actum suum conversivum; sed ista conversio partim uno et eodem modo convenit intellectui et voluntati, et partim alio et alio modo. Quod enim ambae se convertunt ut sunt nuda, pura et solae potentiae, hoc uno et eodem modo convenit eis quantum est ex parte ipsarum se convertentium. Ambae enim se solas convertunt sua via activa, quae aequaliter eis convenit, sed alio et alio modo, quantum est ex parte obiectorum ad quae se convertunt.

Intellectus enim postquam est conversus ad illa ad quae conversus est, se habet ut potentiale quoddam et purum potentiale, et hoc quia intellectus nudus et purus natus est recipere ab illis, sicut proprium passivum a suo proprio activo naturali, quod eundem activum est idem intellectus informatus notitia simplici, et hoc respectu formationis notitiae genitae declarativae.

Voluntas autem postquam est conversa ad illa ad quae conversa est, se habet ut activum quoddam, et hoc ut voluntas nuda et pura nata exprimere de illis (sicut proprium activum de proprio passivo, cuiusmodi est eadem voluntas informata amore simplici) amorem quemdam incentivum, qui est spiritus sanctus in divinis qui habet esse a producentibus ipsum, non per informationem eius de quo est quasi subjective, nec per aliquam impressionem factam eidem secundum modum quo Verbum sive Filius procedit a Patre, per quamdam quasi informationem sive impressionem factam intellectui paterno converso, ut sit sicut notitia declarativa de notitia simplici, sed per quamdam quasi excussionem vel expulsionem aut progressum; aut magis proprie loquendo, per quamdam expressionem producti de eo de quo subjective producitur.

Ex parte ergo intellectus causatur actus dicendi a notitia simplici in intellectu nudo converso supra se et supra notitiam suam simplicem, ita quod intellectus informatus notitia simplici, est principium activum et elicitivum actus notionalis intellectus. Ipse autem nudus intellectus conversus non est nisi quasi principium passivum, de quo, quasi de materiali, producitur Verbum, quasi per impressionem.

Ex parte autem voluntatis causatur actus notionalis ab ipsa voluntate nuda conversa supra se, et super amorem suum simplicem, et super ipsam voluntatem informatam amore simplici, ita quod voluntas nuda conversa est principium activum et elicitivum actus notionalis voluntatis (\*); ipsa vero voluntas informata amore simplici est principium quasi passivum (\*) de quo quasi de materiali producitur Spiritus sanctus secundum quamdam expressionem.

(\*) manifeste verweckelt.

Opinio Henrici apud Scotum, Vives 8, 536.

Et hinc apparet differentia intellectus intellectus, et intellectus ut natura, quia intellectus ut in Patre existens in actu intelligendi suam essentiam, quem actum ipsa essentia operatur in ipso intellectu suo, ut est quasi in potentia ad notitiam essentialem secundum rationem intelligendi, fecundus est fecunditate naturali ad producendum de seipso sibi simile ad quod est quasi in potentia, per hoc quod est actu sub illa notitia essentiali. Intellectus enim, ut est quaedam notitia essentialis secundum actum est natura et principium activum, quo Pater de eodem intellectu ut est intellectus purus, et tantum intellectus ut de puro passivo format notitiam, quae est Verbum, quae secundum rem est eadem notitia cum illa de qua formatur, differens solum ab ea in quantum procedit ab ea ut manifestativa et declarativa ipsius.

Et per omnem eundem modum debemus intelligere verbum formari in nobis, Cognitum enim primo sui simplicem notitiam imprimit intellectui nostro repraesentando se illi ut pure passivo, et sub illa ratione qua est intellectus; intellectus autem sic perfectus simplici notitia per obiectum cognitum quod in se continet expressive factus est fecundus et principium activum ut natura imprimens in seipsum, ut intellectus tantum et principium passivum, ad formandum in se notitiam declarativam de notitia simplici, et secundum hoc quando dicitur Verbum formari per intellectum, et quod intellectus sit in formatione eius activus, hoc intelligitur de intellectu informato simplici notitia. Per hanc enim ut per rationem formalem agendi, intellectus est principium agendi activum, et necessario prior est ratio eius ut intellectus est passivus respectu notitiae simplicis quam recipit ab obiecto, quam ratio eius secundum quam est natura et activus per notitiam simplicem inherens, et ideo ordine rationis prius habet esse ut est intellectus quam ut est natura, et fundatur actus notionalis quem agit ut natura, super actum essentialem quem patitur ut intellectus, scilicet super notitiam simplicem obiecti quem recipit ut est nudus.